



## **Policratici Contenta**

**Johannes <von Salisbury, Bischof>**

**Parrhisius, 1513**

[Incipit prologus in librum secundum.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70332)

rens omniū est: Studuerat hec ab amplexu hospitis arcerē phē-  
nissam: sed quia conciliatrix hospiciū uenit iā preualuerat: ta-  
cta dolore cordis intrinsecus mugit: quoniam ei mugitus pro  
gemitu est: hec eadem quotiens tremit filiis suis preuidet ali-  
quid metuendum: nisi forte parturiēdo laboret. Tunc uero uel  
omnino facit abortum: aut inutilem fetum parit: quia ut mul-  
tum sepe cum parturiunt montes nascetur ridiculus mus. Hec  
sunt quibus totam uigilantiā suam uideas accommodare q̄ plu-  
rimos. Cetera de genere hoc adeo sūt multa: loquacem ut lassa  
re queant fabium: quibus quecūq; domus institerit: eam nec ab  
ipsa salute arbitror posse saluari.

**¶** Explicit liber primus.

**¶** Incipit prologus in librum secundum.



**O**mnia cedunt in usum sapiētis: habētq; ma-  
teriam uirtutis exercende quecūq; dicitur/  
aut fiunt. Nā & oia eius negocia sunt: & dū  
rationis libramine rerum omnium vires pen-  
sat prouida dispensatione quicquid ad beati-  
tudinem proficit quasi quadam manu uirtu-  
tis apprehendit. Tu ergo diuine sapiētie tue  
argumento validissimo dupliciter fidem facis: dum & in tuis  
actib⁹ rectus incedis: et philosopharis in nugis alienis. Alacres  
itaq; exeant nuge nostre quas serenitas tua prodire iubet in pu-  
blicum: ut cōiectores mathematicos cum quibusdam aliis nur-  
gatoribus introducant: quia quibus dedisti egrediēdi audaciā:  
securitatis quoq; fiduciam prestabis. Connectatur ergo inferiora  
superioribus: ut si quid in alterutris uiciosum aut deforme ap-  
paruerit: benignitatis tue prudētia corrigatur.

**¶** Explicit prologus libri secundi.

*Hō exemplo  
alieno quē pos-  
se sua pagere.*